

Johann Simonius

Triumphus Secularis Oratio


Rostochi[i]: Rostochi[i]: Hallervordius: Pedanus, 1618


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742264262>

Druck Freier  Zugang









TRIUMPHUS SECULARIS.
ORATIO:

QUA;

Ob divinitus, per ministerium
D. MARTINI LUTHERI,
liberatam acerbissimâ Pontificia

servitute, Romanisq; Idolomanijs
ECCLESIAM;

a. d. V. Novembris Anno 1617,

*In illustris Academia ROSTOCHIENSIS
PANEGRY,*

In communi gaudio Populi Christiani,

& huic gratulatus est, & DEO OPT. MAX.
gratias egit.

JOANNES SIMONIUS,
P. P.



R O S T O C H I

Typis suis Joachimus Pedanus descripsit, Sumptus
Johannes Hallervordius bibliopola Rostoch. fecit.

ANNO CL^o L^o CXVIII.



M. 1139²

TRIMPTIUS STEPHANUS
ORATIO

Ob divinitus per ministerium
D. MARTINI LUTHERI

liberatus ecclesiasticis Pontificis

Maximo Romano Pontifici

ROBERTO

et d. V. Novemb. Anno 1617

In hujusmodi R. ecclesiasticis

LIBERTATIS

causis hujusmodi Pontificis

Maximo Romano Pontifici

ROBERTO

JOHANNES SIMONIS

D. P.

PROFESSOR

THEOLOGICUS

IN

UNIVERSITATE

WITTEBERGENSI

IN

ORATIONE



Hod ijs, quos, dum inter homines versa-
batur, conjunctissimos habuit, DOMINUS
noster, eo tempore, cum se vitamq; suam
pro nostra vita, nostraq; incolumitate,
proq; impetranda nobis apud æternum
patrem quiete, in ara crucis immolare con-
stituerat, sanctissimè pollicitus est; *se non relicturum eos
pupillos, sed ad ipsos venturum:* ejus promissi Ecclesiam Jesu
Christi, cum quidam semper, tum verò *ante centum annos,*
circa hoc ipsum tempus, pleniore quasi manu persoluti,
compotem factam: maxime lætamur, AUDITORES.
Et si superioribus seculis nihil magis fuisset optandum,
quàm prosper, æquabilis, perpetuus incorruptæ Chri-
stianæ fidei, sine ulla offensione, cursus: tamen si veræ
religioni salva & integra omnia, nec, impervestigabili Dei
judicio, in eam aliquando tenebræ investæ fuissent: in-
credibili quadam & penè divina, qua nunc *Opt. maxumè*
beneficio, Beati LUTHERI ministerio, fruimur, lætitiæ vo-
luptate, & majores nostri & nos ipsi caruissimus. Quid
conducibilius hominum generi à Deo datum est, quàm
recta Jesu Christi, Domini nostri, *agnitio?* nihil profectò
unquam ista fuit ad salutem, aut est magis necessarium.
non tam nos id sentimus, qui ea, laus Deo, fruimur, quàm
sentiebant Patres nostri, cum carebant, & posteaquàm
Deus. eis illam reddidit. *Audisio verbi divini, legitima Sa-
cramentorum distributio, invocatio veri Dei* quid haberent
commodi, carendo ñdem intellexerunt. Jam verò ho-
nor, dignitas, locus, ordo *Magistratum,* quanquam omni-
bus semper clarissima videri debebant, tamen ea, *reno,*
nescio cujus, *minoritatis & profanatis,* per Papicolas, fœ-
dissimè

diffimè *asperfa*, tunc verò deterfo illo quafi renovata,
illuftriora vifa funt. Ipla autem *faca fcriptura*, Deum
immortalem, dici vix poteft, quid caritatis; quid utilitatis
habeat? quæ fuavitas promiffionum? quæ comminatio-
num gravitas? quæ humanitas Dei in peccatoribus ad fe
vocandis? à quibus omnibus legendis cognofcendisque
planè deiefti erant noftri majores. Sed ranquam bona
valetudo, jucundior eft ihs, qui ex hereditario morbo re-
creati funt: fic ea omnia defiderata & tandem percepta
magis delectabant. Quorfum igitur hæc difputatio?
quorfum? ut intelligere poffitis, **AUDITORES**, nemi-
nem unquam tanta eloquentia fuiffe, qui magnitudinem
multitudinemq; beneficiorum, quæ in majores, in nos,
liberosq; noftros, Deus ministerio beati **LUTHERI** con-
tulit, non modo augere aut ornare oratione, fed enume-
rare aut confequi poffit. Quam tamen dum ad umbra-
re oratione hac mea conor, duo à vobis, **AUDITORES**,
peto; unum, ut veniam mihi deris eam rem fufcipienti,
quam me non poffe fateor in hac iudicij mei re nuitate &
infantia mente perfpicere, nedum verbis illuftrare: alte-
terum, ut hoc meum ftudium, fi quod eft, non temerita-
tis, fed officij, nec ostentationis, fed pietatis effe ducatis.

A parentibus, **AUDITORES**, *quales* poft miferri-
mum illam Protoplantarum lapfum procreemur; à Deo
Optimo Maximo *quomodo regeneremur*: omnibus notif-
fimum eft, qui primas facrorum Bibliorum paginas atpe-
xerunt. Neq; enim folum nudos ac inertes nos na-
fcentes terra excipit; fed totos peccati inherentis contra-
gione infectos, manne omnium malorum; quæ corrupti,
quæ natura bona funt, quia fcabi illa carent, nec cerni-
mus nec facimus. Sed **DEUS**, quæ eft bonitate, & in nos
noftromq; genus mifericordis animi propenfione, homi-
nibus

nibus in gratiam gratis receptis *donavit Filium* suum unigenitum: inq; hujus unius nomine remissionem peccatorum, justitiam, & vitam æternam, deleta per ipsum solum morte, jussit habere omnes, quotquot in eum credunt. *Hunc tantæ salutis fontem Papa Romanus* infinitis modis *obstruxerat*, ita, ut penè hominibus illis exaruisset, nisi singulari Dei providentia, consilioq; adorando, reliquæ illius & quasi guttulæ quædam reservatæ fuissent; quibus, præter infantes & martyres, recreatos etiam & ex faucibus Antichristi ereptos persuasum habemus eos, qui in mortis agone constituti, per certas quæstiones sæpius iteratas, sæpeq; à Monachis, teste *Anselmo*, inculcatis, ad solum Christum, persolutumq; ab eo pro peccatis nostris precium, deducebantur. Sed tamen miseriam fuisse illorum temporum conditionem: *mecum* queso recognoscite.

Sedebat enim *Papa Romanus* in templo Dei, opinione & nomine Christi Legatus, re autem vera *homo peccati & filius perditionis*, meretrix Babylonica & Antichristus magnus. Nec enim solum opponebat & efferebat se adversus quicquid est Deus aut numen: sed *Christi* etiam officio sibi quàm sceleratissime sumto; *claviumq;*, ad omnes homines opprimendos confecta, eaq; ad se translata *potestate*, quicquid vellet in Ecclesia; in ejus titulum, tanquam in exuvium leoninum *asinus Cumanus*, sese; bonis parum vigilantibus, illatebraverat; summa cum licentia perpetrabat. Dolereis, AUDITORES, *salosifica fidei lumen* vanissimis impudentissimorum hominum commentis extingui? Exstinxerat id ipsum *Pontifex*, infuso dubitationis de remissione peccatorum largissimo nocentissimoq; aceto. Dolereis *verè Dei adorationem* contaminari? Contaminaverat ipsam *Pontifex Romanus* tot

idolis;

A 3.

idolis erectis, tot mediatoribus excitatis. Doleretis, *fr-*
crificium à Filio Dei super arbore crucis æterno Patri pro
 nobis peractum, ejusq; fructum extenuari atq; obrui?
 Extenuaverat atq; obruerat ea Pontifex Romanus, in pro-
 scenium deductis, *Missarum, satisfactionū, vigiliarum, Eleemo-*
synarum, castigationum corporis, ignis purgantis, meritorum
congrui, condigni, cucullarum, proprij, alieni, vivorum mor-
tuorum, & id genus figmentorum immensis plaustris. Pa-
 rum est, quod dico, AUDITORES; quamquam quid eo
 majus esse possit, haud video; sed tamen parum est ad illo-
 rum temporum calamitatem pingendam. Ipse Roma-
 nus Pontifex, *Pater pessimus,* cum luxu effeminatis, ambi-
 tioneq; perditis filijs, *mole traditionum* conscientias affli-
 gebant; pro muneribus impium justificabant; peccata
 populi comedebant; peccatis populi vestiebantur; in-
 peccatis populi multipliciter luxuriabantur; fidem, decus,
 pietatem, postremò vitia virtutes, honesta atq; inhonesta
 omnia, humana, divina in quæstu habebant; atq; hunc
 quæstum pro pietate à cœlo delapsa venditabant: deniq;
 in Ecclesiam Jesu Christi debacchabantur, non secus, ac
 si ad eam flagellandam egressus esset *Satan* à facie Dei.
 Tanta erat illis temporibus à Vicario scilicet Christi im-
 pressa calamitas! Quis bonus eam non deploraret? quis
 suæ salutis studiosus cogitatione illius non ingemisceret?
Hujus autem miseriæ à nostris cervicibus *averruncanda,*
Deus, recordatus orphanæ suæ Ecclesiæ, atq; ad eam
 venire satagens, per electum organon suum, per M A R-
 T I N U M L U T H E R U M, hoc ipso tempore, ante centum
 annos, *fecit initium.* Quis hâc rursus non lætetur? quis
 non gestiat? quis Deo nostro gratias non agat? Nam
 eum in ipso beneficio tanta est magnitudo, ut eam com-
 plecti oratione non possimus: tum *in ipsa & conspiciendi*

com-

conferendi ejus ratione ea est vis, ea admiratio, ut nihil majus dici aut cogitari possit. Non enim occasione ad agendum apra aut facili, non auctoribus illustri loco positis, non hortatoribus potentia & opibus prævalentibus susceptum fuit hoc negotium **LUTHERO**. Idq; ita esse, **AUDITORES**, intelligetis. Converterat Pontifex Romanus tyrannide clavium, tanquam Gorgonea quadam statua, in stuporem & saxa unversum mundum, Cæsarem, Reges, Principes, omnes homines maximos, medioximos, imos, sic, ut nemo licet sentiret, se Papa ductore in Gehennæ barathram vivum videntemq; præcipitem agi; tamen tantum animi haberet, ut quæreret, *Domine Papa, quid facis?* O Tyrannidem! ô omnibus, quæ unquam fuerunt, crudelitibus immanitorem immanitatem! Egonè per te, *Domine Papa*, sciens perditum irem? Egonè, non perituri alicujus commodi; sed vitæ & salutis æternæ per te facerem jacturam? nec mihi, in præsentissimo meo periculo; in funere, quod vivo mihi duceretur; in animæ & corporis nullo unquam ævo terminanda interfectione, adversus te mutire liceret? Quæ est iusta tua, *Domine Papa*, in animam meam, quam Christus suo sanguine redemit, quamq; Deus à perditione æterna servatam sepe percipere, juramento mihi confirmavit, tam dira planeq; diabolica dominatio? Quid enim, **AUDITORES**, ista crudelitate crudelius? Et tamen immanem hanc Pontificis immanitatem Patres nostri multis seculis pertulerunt. Accedebat eò insatiabilis habendi libido, quam cum Tyrannide Papa conjunxerat. quæ tanta fuit, ut nihil esset in orbe Christiano tam spaciofo, nihil in familijs tam penè insatiatis, nihil in ædibus cujusq;, quod à cupiditate & latrocinio Pontificis Romani tutum fuisset atq; securum. Expilatae sunt provinciae; vexatae respubl. regna spoliata; exhausti ci-

.ves

ves Christiani: idq; per conductos ad eam rem monstruosissimos exactores per regressus, quos vocabant, per accessus, per incorporaciones, uniones: relaxationes, taxas, pallia annatas, indulgentiarum nundinationes: quarum harpyiarum ea fuit rapacitas, ea in prædando sævitia, ut, nisi Deus prohibuisset, hamatis earum unguis correptas totius mundi divitiás curia Romana tandem ad se pertraxisset, & tanquam Charybdís absorpsisset. Quasi verò Episcopi sic, ovis suis vivis pelliculam detrabere, mortuis salutem eripere. Sed tanta erat Pontificis rabies & habendi fames. Quid autem LUTHERUS? Erat is quidem honestis, & veteris Germanicæ rectitudinis exemplis parentibus; ac ex familia natus, neq; opibus firma, neq; copijs locupletè, neq; gloria ampla. Non ipsi conjuncti erant amicitijs & affinitatibus homines potentissimi: non cum nobilissimis, non cum summa in Repub. auctoritate viris familiaritas intercedebat: nullus hinc parentum splendor: non propinquorum claritas: non majorum dignitas: quibus accendi potuisset, ut se Papæ, h. e. universo orbi, Papæ jussa trementi, opponeret. Quid ergo est? NUDUM LUTHERUM ab omni potentia, nulla illustri cognatione munitum, nullis armis metuendum, sola Dei patris nostri, miserrimæ Ecclesiæ suæ piorumq; quotidianis lacrimis, sordibusq; lugubribus excitata Bonitas ad id, quod perfecit, opus selegit & traduxit. Ecclesia illorum temporum, tyrannide Pontificis pressa, fuit una, quæ suo squalore Dei oculos inflecteret; quæ suo fletu misericordiam Dei inflammaret; quæ solitudine gemitibusq; Deum ad opitulandum miseris afflictisq; impelleret. atq; hic quidem tanto in eos amore extitit, ut in extremis periculis insidijsq; Pontificijs versanti rei Christianæ tandem succurreret, nec pateretur eam à scorto abominationis
peni-

penitus opprimi. Continebatur tum quidem tectis & angulis & p̄i cuiusq; pectore squalor ille Ecclesiæ & luctus & mœror assiduus, puriorisq; doctrinæ desiderium: sed ex tenebris in lucem clarissimam ad thronum agni emergentes & consistentes illæ *Piorum lacrum a deprecata sunt à Deo hoc ipsum tempus*, quò Ecclesia horrendum Pontificiæ tyrannidis jugum cepit excutere, tandemq; veritatem doctrinæ divinitus concessam recepit. *O diem faustissimum! ô tempus, totius posteritatis laudibus mactandum!* *Turcica blasphemiam non modò non ab Ecclesia, sed oppressa Ecclesia, est in orbem orientalem invec̄ta: nec rei præstantia (quæ cum turpissima sit, nulla profectò esse potest)* in ipsius constitutione, sed furor & arma valuerunt. Itaq; meritò ex omni memoria abolendus est ille dies, qui impietati Ottomanniæ, ortum dedit. At hoc tempore quid festivius? quo *Pharaonis Latij* vi ac servitijs diu multumq; exagitata Ecclesia ad veterem dignitatem & libertatem aspiravit, eamq; parvis initijs consecuta est? quid autem æquius, quàm tantò majore nos gaudio affici, quantò minus speratum fuerat, per LUTHERUM, quo mundi iudicio tum nihil abjectius, veræ fidei reductionem fieri?

Nam cum *Tecelius* quidam, nobilitata impudentia *Monachus Dominicanus*, Indulgentias per Germaniam venales circumferret, eaq; de ijs propalare non erubesceret, quæ ne quidem sine scelere & blasphemiam cogitari possint; *coëmssione earum, etiam sup̄ri, semper virgini Mariae, gloriosissima Domina, illati, expiationem redimi posse*: hoc tanto Sycophantæ scelere irritatus LUTHERUS, postquam ab ijs, ad quos cura religionis per Germaniam tum præcipuè spectabat, à *Moguntino & Havelbergensi* præsulibus, ut balatronis istius Ecclesiæ Romanæ dignitatem

B

tatem

tatem nugis suis proſtituentis, veſaniam compeſcerent,
precibus obtinere non poterat: ne ſuo deſſe videretur
loco, *Anno Chriſti 1517, die menſis Octobris ultima*, diſputa-
tionum 95. capita, de Purgatorio, de Pœnitentia, de offi-
cijs charitatis & de indulgentijs, *Witteberga* ad valvas
templi, quod arci contiguum eſt, publicè affixit: non ut
vel voce Papam læderet, ſed ut nandinationis Tece-
lianae tum impoſturas, tum improbitatem rerunderet, atq;
à Romana curia infamiam, quæ ei inde, ut ipſe quidem
judicabat, metuenda erat, quantum in ſe eſſet, averteret.
Hoc LUTHERI ſtudium primò *Tecelus*, deinde *Wimpina*
adeò ſiniſtrè ac malè exceperunt, ut theſibus contrarijs,
ex *Francfortenſi Academia* emiſſis, LUTHERUM ſine
ulla cauſæ cognitione condemnarent, & flammis propria
auctoritate conſecrarent. Ea hominum turbulentissi-
morum *ſanguinolentia* LUTHERO & neceſſitatem im-
ponebat ſuam ſententiam deſendendi, & anſam præbebat
ſacra biblia diligentius ſerutandi. Atq; hæc tamen
omnia ita perſecutus eſt LUTHERUS eo tempore, ut
uni LEONI Papæ ejuſq; arbitrio & ſe & cauſam & ſa-
lutem ſuam permetteret. Sed tum ECCIUS & PRIE-
RIAS, & famoſus ille Magiſter noſter *JACOBUS HOG-
STRATEN* virulentiffimis ſcriptis ſuis frigidam ſuffandè-
rent, & ad Pontificis Rēgumq; odia inflammanda ex Pa-
pa Deum, ex LUTHERO hæreticum facerent: tum verò
LUTHERUS haud obſcurè oſtendit: ſi Pontifex cum Put-
puratis ſuis idem ſentiant, jam apud ſe nullum eſſe dubium,
quin Roma ſit Antichriſti ſedes, curia Romana Satanae Synago-
ga, ipſiq; Pontificij ſatellites nocentiſſima totius generis humani
peſtes.

Hæc ſunt, AUDITORES, repurgatæ religionis initia,
exigua illa quidem, ſed à quibus progressus LUTHERUS
ad

ad immensi diviniq; operis exædificationem, vi majoris
 quasi tractus pervenit: ut *Primatus larvam* Papæ detra-
 heret; ut hujus fictitijs *clavibus*, quibus totum sibi mun-
 dum subjecerat, si non penitus omnem nostris tamen ho-
 minibus nocendi vim adimeret, easq; veris Christianis
 deridendas propinaret: ut *humanorum commentorum*
 vinculis contrictam salutarem peccatoris cum Deo in-
 gratiam redeundi doctrinam liberaret: ut **JESU CHRISTI**
 omnibus omnium hominum delictis abolendis sufficiens
meritum clarius splendidiusq; efficeret: *discrimen* Legis,
 & promissionum, quæ Evangelij propriæ sunt, cunctis po-
 pulis ad percipiendum proponeret: legitimum *sacramen-*
torum usum in integrum restitueret: *legendi sacri Codicis*
 potestatem Laicis acquireret: *Deo Maozim*, cujus cultu
 universi ferè orbis Christiani opes Romam pertractæ
 erant, *Dagoni* illi auto & gemmis ad miraculum ornato,
 caput pedesq; præscinderet: Papæ, valde quidem ridi-
 culas, sed valde fructuosas *benedictiones*; Persicas ejusdem
Pompas; vota præterea & impurissimos *monachatus*; *ignis*
purgamen; *peregrinationes*; ad Deorum pulvinaria concur-
 sus: *meritorum humanorum quisquilias* omnes; *speetra* &
terriculamenta omnia, *animarum apparitiones* ac quiri-
 tationes: *universum Demoniorum fatum*, revocatis ad
 solum verbum Dei & ad verè bona opera pijs, ex templo
 Dei exturbaret: hircissantem illam Magitrorum nostro-
 rum anum Philosophiam, quæ regnum in Theologia oc-
 cupaverat, expelleret: deniq; *omnibus doctrine Christiana,*
 à *Papicolis* miserrimè obscuratis *partibus*, delibatam à sa-
 cræ scriptæ sole lucem adferret. — O verè **ELIANA LU-**
THERI opera! O magna & prægnantia viri in Eccle-
 siam Jesu Christi promerita! O diem niveis signandum
 lapillis, qua tantæ rei initium factum! Est enim, **AUDI-**

TÖRES, verè ELIANUM hoc LUTHERI & vix imi-
rabile opus: quod & *Papa diadema* & *Monachorum ventres*
impugnare, nec solum impugnare, sed & oppugnare,
imò etiam expugnare sit ausus. Ac profectò cui in
illam repurgatæ religionis à LUTHERO ceptam, &
postea continuatam, telam penitus intuenti, stupenda
in ea non videantur omnia? LEONEM IMPERATO-
REM GREGORIUS SECUNDUS banni quondam fulmine
percussit, omniq; *Italia* exiit, saltem ob destructas quas-
dam imagunculas. at LUTHERUM, Indulgentias,
unum ex validissimis imperij Antichristici fulcrum, sta-
tim in prima coitione non mediocriter labefactantem per-
tulit Leo Pontifex. HENRICUM IV, quod nollet
jura imperatoria à Papis imminui, *Paschalis secundus* vi-
vum primum excommunicavit; deinde HENRICUM V.
eò tandem impulit, *ut in mortui Patris cadaver & sepulcrum*
filius se vires. At LUTHERUM, in totam Pontificis
Romani hierarchiam arma expedientem, ipsiq; *Papa*, ab-
ominationis, in loco sacro stantis, cauteria certissima, in totius
orbis terrarum conspectu, inurentem, passus est Antichristus.
Nolo istis antiquis immorari. Fuit, fuit itta semper Ro-
mane curie crudelitas, ut acerbioribus supplicijs Christia-
num civem, de merito Christi & fide salvifica rectè sen-
tientem, quàm acerbissimum nominis divini hostem coër-
ceret. Habent enim Pontifices Senatusconsultum, sty-
gio calamo suis tabulis inscriptum: *collendos esse flamma,*
rotis, cruce, ferro, quotquot bestiam Romanam caput Ecclesie
non agnoscant, aut doctrinam, Romanæ Ecclesiæ contra-
riam, profiteantur. Decreverat quondam conciliabulum
Purpuratorum, ut JOHANNES HUSS, quod se indul-
gentijs opposuerat, cremaretur. Vix horum aliquot inter-
cesserunt: contra fidem à CÆSARE SIGISMUNDO IV.
publi-

publicè datam, in rogum coniectus est vir ille, pietatis fama insignis, claritate nominis illustris, à doctrinæ, ingenij & eloquentiæ adjumentis commendatissimus. Eodem sanguinolentissimorum *Arcopagistarum* decreto condemnatus fuit *HIERONYMUS PRAGENSIS*; num ultra triduum postea cum mors à sævissimorum carnificum poena remorata est? At in *LUTHERI* causa passi sunt Patres hebescere aciem auctoritatis decretorum suorum. Quanquam id oscitantia quadam aut culpa, aut ut suæ causæ indormirent, à Patribus factum esse, minimè credendum est. Vigilabat pro se & suis *Antubrissus*, oculis quàm poterat, intentissimis. Meminerat, se & nomine & re esse *Leonem*. Sciebat in *Paparam bullis*, in *Petri clavibus*, in *Pauli gladio*, *Romanæ curiæ præsidium* & vitam & salutem, dubijs ipsius temporibus, semper fuisse. nec deerant perficiendi vel animus vel vires. Egonè, dicebat apud se *Leo*, verbo servus servorum, re ipsa *Rex Regum*, nova ita *Lutherana* permitam? egonè ab homuncione contaminari concedam sanctissimæ meæ sanctitatis tantam Majestatem? qui & auferre quibus velim, & dare, quibus velim, possum regna? cui equum inscendenti stapedem cogitur ministrare *Cesar*? qui par habeo cum *Deo concilium*, commune cum *Christo tribunal*, datam omnem in cælo & in terra potestatem? ad extremum, qui dominatum usurpo in *Angelos poli*, in *homines soli*, in *pisces sali*, in *incolas inferni*? non pariar: non feram: non sinam. mori me potius malim. *Sentiet LUTHERUS*, qui *Deus sibi*: non una pedis

supplōsione, sed *unico bulla rugitu* intelliget me non solum
terram, sed cœlum quoq; & Acheronta moturum, ut
conjunctis viribus ad ipsum opprimendam certatim
ruant. Hæc in LUTHERUM cum agitaret Pontifex:
primò eum anathematis fulmine ferijt: deinde Casarem, re-
ges, & quotquot per orbem Christianum essent Princi-
pes, omnes item doctrinæ fama celebres in eundem inflam-
mavit, sic, ut furori nec lingua nec manus deessent. Jam
ad cœtera contra LUTHERUM conficienda certos ho-
mines delectos ac descriptos habebat. Itaq; vidisses fren-
dere purpuratos patres, tumuluarum Reges: insanire Canoni-
corum popinas: indignari sacrificulorum venres: ringere
Monachorum aqualiculos: Diabolum furere. Cerneret, sp̄m
Pontificem notare & designare oculis ad cadem non tantum
LUTHERUM, sed omnes, qui in LUTHERANI dogmatis suspici-
onem venissent. Cæteros autem, qui eruditionis opinione clari,
qui in Academijs Doctorum antesignani habebantur, calamos
& diras in LUTHERUM stringere, strenueq; Pontifici allabora-
re. Atq; his omnibus una hæc erat proposita meta: col-
lendum è medio esse LUTHERUM. Quibus si LUTHERUM
restituisse dicam: nimium mihi sumam, nec sim feren-
das. Instruxerat quidem Deus LUTHERUM cogni-
tione sacrarum literarum admirabili: ornauerat incredi-
bili dicendi majestaté & orandi gravitate: armaverat
eum animo supra humanum majore, & ad omnes celo-
rum jactus, ad omnem fortunam, ad omnes temporis mo-
tus invictò. Sed nec his donis fidebat LUTHERUS. nihil
in linguæ excellenti vi præsidij collocatum habebat: ni-
hil in ingenij acrimonia, nihil in solertia, nihil in spiritus
animositate; nihil in eruditione: in Principis ullius au-
toritate aut potentia nihil. Omnia ipsi erant JESUS
CHRISTUS: omnia ejus erant JESU CHRISTI: omnia

lud.

sua JESU CHRISTO dicata habebat: omnia per JESU
CHRISTUM: omnia deniq; per omnes casus ipsi erant in
JESU CHRISTO. huic uni se credebatur: hunc ardentissi-
mis & nunquam cessantibus precibus invocabat: in hoc
unico omnem suam rem, omnem spem, omnem fiduciam,
omne studium fixum habebat. hunc vigilans, hunc som-
nians, hunc vocationis opera obiens solum cogitabat,
solum meditabatur, solum apud se ruminabat. Ille igitur,
ille JESUS CHRISTUS, Dominus noster, *vi & insidys*
in LUTHERUM multipliciter usurpatis restitit. ille LUTHERO:
ille templis, in quibus docuit LUTHERUS:
ille urbi, in qua vixit; ille omnibus, qui LUTHERI par-
tes paulatim sequebantur, clementissime juxta atq; poten-
tissime, quo ad vixit LUTHERUS, defendit fidas, quæ à
Pontificijs his jampridem initiatae sacris ac devotæ sunt,
ut eas necesse putent in piorum corporibus defigere. In
hujus igitur Domini nostri, in medijs suis hostibus domi-
nantis *presidio delitescens* LUTHERUS, quanto *illi* majore
audacia furebant; tanto *hic* elatiore animo eorum minas
& fulmina spernebat; quanto *illi* venenatoribus cruen-
tioribusq; calumnijs pugnabant; tanto *hic* illos gravio-
re zelo, sumta ex Spiritus Sancti armamentario panop-
lia, oppugnabat; quanto *illi* impudentioribus vocife-
rationibus Papæ & numen & merces misero popello in-
culcabant & vendebant: tanto *hic* ferventiore spiritu,
instar Angeli medio cælo volantis, & Evangelium æter-
num habentis, Apocalypticum hoc TIMETE DEUM,
Etq; GLORIAM TRIBUITE; occinebat, idq; terræ
incolas docebat. quanto flagitiosius *illi* debacchabantur:
tanto *hic* sonantior voce Papatum facinora ebuccina-
bat; esse eos blasphemos, læsæ divinæ & humanæ ma-
jæstatis reos, tyrannos, sacrilegos, meriti JESU CHRISTI
flagel-

flagellatores, sanctorum parricidas, mœchos, adulteros,
cynædos: esse ejusmodi patres, qui præ nimio sanctitatis
studio filios suos occidant; præ caritate fratres perdant;
præ amore commissos suæ fidei devorent: esse homines,
qui veritate & conscientia contriæti nec pudenter men-
tiri possint, nec prudenter veritatem dicere audent: qui ad
populum Curios simulent; sed domi accubantes in con-
vivis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, cibo
confecti, debilitati stupris, nil nisi piorum cædes atq; or-
bis incendia sermonibus suis eructent: tandem, ut pau-
cis omnia, quantò *illi* suas traditiones, suos patres, sua
decreta vehementius urgebant; quantò sua ligantis cla-
vis brontæa *Papa ipse* validius commovebat: tantò fortius
contra illos omnes, audiente cœlo & terra, *LUTHERUS*
Verbum Dei, & illud, SIC DICIT DOMINUS, intona-
bat: eaq; una machina percussam *Goliathum Papalem* ita im-
pellebat, ut in præcipiti staret ejus diadema: *Papatum* au-
tem ipsum sic *afflixit*, ut per universam *Saxoniam* & vici-
nas regiones, hoc unico *LUTHERI* clamore tremefa-
ctus, non secus ac tubis clangorq; sacerdotum olim *murè*
Hierichuntij, concideret tanto fragore, ut eam ruinam
non solum *Europa*, sed *Asia* quoq; & *Africa* sentirent, fre-
mentibus ijs, quos sævo impudicitæ suæ vino *Meretrix*
Tarpeja potionaverat: contra *ovantibus pijs*, lætumq; An-
geli carmen: *cecidit, cecidit Babylon illa magna!* acclaman-
tibus. O rem penè inauditam! Domuit *JULIUS CÆ-*
SAR gentes immanitate barbaras, multitudine innume-
rabiles, omni copiarum genere abundantes; sed tamen
vicit, quæ & naturam & conditionem, ut vinci possent,
habebant. Verumenim verò eum aggredi, qui invaden-
di sui omnes jampridem vias præcluserat; imperum in
eum facere, qui omnes ejus aditus obsederat; de eo vi-
ctoriam

Historiam referre conati, qui non solum solium suum supra
omnes Ecclesias, supra omnia concilia, supra omnes Re-
ges, supra Deum, infans molimine evexerat; sed qui brachio
quoq; seculari, qui ordinibus innumerabilibus, sectis inter
se divisus, sed in ipso Papa, in Meduseo illo capite con-
sentu admirabili unius; qui sacerdotijs ad ipsos conferen-
dis amplissimisq; largitionibus sese tanquam vallo quodam
in caelis usq; subducto, ibiq; ligamentis adamantinis quasi
alligato, sepebat: hæc qui faciat; non ego eum cum
summis sua virtute contpiciuis viris comparo; sed à solo
Deo ita omnia habere iudico. Sunt enim, AUDITO-
RES, hæc omnia ita à LUTHERO administrata, ut DEI
immortalis nutu atq; consilio & gesta & provisa esse du-
bitari nec possit, nec debeat. Idq; cum conjectura cer-
ta assequi nos possumus, quod humanis consilijs tantam
molem LUTHERUS nullo modo sustinere potuisset: tùm
verò præsens DEUS, itis temporibus, *opem & auxilium*
LUTHERO Christianusq; tulit, ut eum penè oculis vide-
rent. Nam, ut illa omittam: *predixisse Hussum*, post
centum annos venturum olorem, quem non ita exulturi
essent, sicut anserem torrerent: *vaticinatum Elehium*
Monachum, cum inauguralem Academiae Wittebergen-
sis concionem habuisset, fore ut Wittebergâ, tanquam
ex monte sapientum, totus orbis Christianus mutuo sa-
pientiam acciperet: *visum* nocturno tempore Magnari
cuidam secundum quietem Monachum, manu calamum
tenentem, cuius mucro in tantam longitudinem excre-
sceret, ut Germaniam & Italiam pertransiens ad ipsum
Pontificem se penetraret, ejusq; tripartitam coronam
penetraret: *reperiam* Romæ anno C. 1496. in Iiberi
figuram horribilem, sed mortuam: cui caput fuit asinum: dex-
tra manus Elephantino pedi similis, sinistra hominis: pes dex. er
bovis,

bœvis, levis Gryphis unguam referens: venter, pectusq; ma-
liebre: squama piscium, non ventri, sed brachijs pedibus &
collo illita: senile caput, vicinum coxis: Draco deniq; ex podice
prospectans, diductusq; faucibus flammæum torrentem minitans:
quem PAPAPELLUM nostri postea vocarunt: eoq; ipso
& Pontificem notatum, & regni ipsius ruinam significa-
tam censuerunt. Ut hæc omittam: hoc certè, AUDI-
TORES, quod sum dicturus, neq; prætermittendum,
neq; relinquendum est. Nam profectò, quod LUTHE-
RUS primum *Augustæ Vindelicarum*, deinde *Wormatiæ in*
Vangionibus, intrepidè & tam constanter hanc doctrinam
defendit, ut facilius fuisset, *solem de cursu suo*, quàm L u-
THERUM de ea dimovere: signum est præsentia Dei cer-
tissimum. quod in *Papa oppugnando* LUTHERUS nec diffi-
cultatum insolentiam, nec diversas hominum voluntates,
nec præsentissimum vitæ fortunarumq; periculum exti-
muit: notæ est ejusdem, quod ita *excelluit LUTHERUS elo-*
quentia, ut nihil ab adversarijs acutè, nihil versutè, nihil
subdolè inveniri posset, quod ille non viderit, & quasi
SIMSON alter non solverit: congeminum est superiori,
quod ut aliquando finiam, tam potens *ejus dicendi ars fuit*,
ut unus ille contra Romanæ Ecclesiæ universæ præsidia,
contra auctoritates Regum & Principum tunc ita va-
leret, ut suæ eloquentiæ viribus universum papatum con-
cuteret atq; labefactaret: argumenti est ejusdem. Quis
igitur esse potest, AUDITORES, tam aversus à vero, qui
neget, hæc omnia, quæ per LUTHERUM, circa hoc
ipsam tempus cepta, posterioribus annis perfecta sunt,
præcipueq; doctrinæ Christianæ à sordibus Pontificijs
mundationem, solo Dei nutu atq; potestate administra-
tam esse? Quis autem tam præceps erit, aut tam mente
captus, qui non fateatur, in ipsa præstiti nobis per L u-
THERUM

THERUM tanti beneficij procuratione, inesse eam vim, quæ nos meritò in admirationem laudemq; hujus temporis horumq; bonorum abripiat, & ut sine intermissione ea ipsa prædicemus, excitet?

Inficiari tamen hîc nec possumus, nec debemus, singulari Dei gubernatione evenisse, ut LUTHERUS, anno postquam hoc tantum opus incoasset, altero, PHILIPPUM MELANTHONEM *προεσώτην* nancisceretur. Fuit hic PHILIPPUS, verè *ἡμεῶν σπουδαία μοισάν, γλυκὺς κρήνη ἀγαφθγκτων ἀσιδῶν τε καὶ ἡθῶν*, vir in omni doctrinarum genere, supra quàm incredibile est excellens; Dux chori Musici, dulcis crater dulce sonantium carminum, & mira ingenij suavitate; vir ad scholasticorum barbariem profligandam, artesq; ac disciplinas tuonitori restituendas, Saxombus nostris quasi natus: *cui hoc divinitus erat tributum, ut dissoluta in ordinem contrahere, confusa rectè distribuere, incertus locum sum restituere, ambiguis proprietatem, obscuris lucem præbere possit.* Itaq; tanquam apicula laboriosissima & fidelissima pervolavit per universos doctrinarum campos, & depulsis inde *φλυαρίαις*, ex varijs scriptorum fœculis lectissimum & dulcissimum succum nobis in favos digessit. Hic igitur tantus vir suas cum LUTHERO operas statim conjunxit: quod quidem tum factu difficile non fuit. Agnoscebat enim PHILIPPUS in LUTHERO animi magnitudinem penè plus quàm humanam: ingenij acumen: in judicio inimitabilem *εργασμῶν*: in explicandis doctrinæ controversijs dexteritatem summam: aliaq; supra communem hominum, captum dona. Rursus LUTHERUS suam in PHILIPPO quasi imaginem, maximèq; suspiciendam eruditæ eruditionis, tum illustris humanitatis bonâ contemplantatur? ex quo effectum, ut LUTHERUS sibi

socium PHILIPPUM ascisceret multorum magnorum
gravissimorumq; laborum: utq; LUTHERUM PHILIP-
PUS revereretur, & vicissim ab ipso diligeretur. Hanc
viri laudem hoc loco minime reticendam, sed PHILIP-
PO, tanquam *communi Germania Praeceptori* deberi, existi-
mo. Nec enim vel ei suam gloriam, vel caeteris detra-
hendam censemus. Te vero LUTHERUM operis pur-
gandae religionis divinitus electum; constitutumq; *cory-
phaeum & πρύταξον* gaudemus: tuo inprimis ministerio
Rempubl: Christianam, quae sui obita in alienas synago-
gas detrusa venerat; contubernioq; Moabitidum alienam
linguam didicerat, ope coelesti conversam ad se tandem
redisse, & ad veram Jesu Christi scholam reductam, verè
vernaculum & sibi proprium dicendi genus quasi post-
limino recuperasse; lætamur: tuo inprimis ministerio
exultamus. *diminuatam Pontificis Romani* in nostram gentem
nostrosq; homines Tyrannidem: tuo ministerio *abolita*
esse *impia Paparum sacra*: amplissimam *Principibus CHRIS-
TIANIS* honoris, quam tantum non pedibus meretrix
Babylonica conculcaverat, *auctoritatem redditam*: veram
de JESU CHRISTO, de ejus merito, de fide salvifica;
de Sacramentis: de omnibus ad salutem & ad vitam
benè beateq; tum degendam, tum finiendam necessarijs,
ex Daemoniorum excremento, quo illam Pontifex Romanus
foedaverat, *erutam & sua dignitati*, frustra fremente
Diabolo incassum fremente universa ratorum cohorte,
inani labore portis inferni sese torquentibus, & præ fu-
rore subsilentibus, *restitutam Doctrinam*, nobis gratula-
mur: atq; hæc à Deo per te electissimum Spiritus San-
cti organum, per te LUTHERUM, in totum orbem
CHRISTIANUM collata beneficia; tum semper tum
hoc JUBILÆO EVANGELICO, hoc Ecclesiae triumpho
seculi.

seculari, in communi gaudio populi CHRISTIANI,
quanta possumus animi deuotione, admiramur & depræ-
dicamus: simulq; tibi omnipotenti DEO, auctori tanti ope-
ris & gubernatori, tuæq; Ecclesiæ custodi & conser-
uatori perpetuo, lætis animis grati hunc accinimus
hymnum:

Exaltabimus te Deus rex no-
ster, & benedicemus nomini
tuo in seculum & in seculum
seculi. Per singulos dies bene-
dicemus tibi, & laudabimus
nomen tuum in seculum, & in
seculum seculi. Magnus Do-
minus & laudabilis nimis: &
magnitudinis ejus non est finis.
Generatio & generatio lauda-
bit opera tua: & potentiam
tuam annuntiabunt. Magnifi-
centiam gloriæ sanctitatis tuæ


loquentur: & mirabilia tua
narrabunt. Et virtutem terri-
bilium tuorum dicent, & ma-
gnitudinem tuam narrabunt.
Memoriam abundantiae suavi-
tatis tuae eructabunt: & justi-
tia tua exultabunt. Miserator
& misericors Dominus: patiens
& multum misericors, Suis
Dominus universis: & misera-
tiones ejus super omnia opera
ejus. Confiteantur tibi, Domi-
ne, omnia opera tua: & sancti
tui benedicant tibi. Gloriam
regni tui dicent, & potentiam
tuam loquentur. Ut notam fa-
ciant

ciant filijs hominum potentiam
tuam: & gloriam magnificen-
tiæ regni tui. Regnum tuum re-
gnum omnium seculorum: &
dominatio tua in omnem gene-
rationem & generationem. Al-
levat Dominus omnes, qui cor-
ruunt: erigit omnes elisos. Ocu-
li omnium in te sperant Domi-
ne: & tu das escam illorum in
tempore oportuno: Aperis tu
manum tuam, & imples omne
animal benedictione. Iustus
Dominus in omnibus vijs suis,
& sanctus in omnibus operibus
suis. Prope est Dominus omni-
bus

bus invocantibus eum: omni-
bus invocantibus eum in veri-
tate. Voluntatem timentium
se faciet: & deprecationem eo-
rum exaudiet, & salvos faciet
eos. Custodit Dominus omnes
diligentes se: & omnes pecca-
tores disperdet. Laudationem
Domini loquetur os nostrum:
& benedicat omnis caro no-
mini sancto ejus in seculum
& in omnem perpetuam
seculorum perpetui-
tatem.

D I X I.





ciant filijs hominum po
tuam: & gloriam mag
tia regni tui. Regnum
gnum omnium seculo
dominatio tua in omne
rationem & generation
levat Dominus omnes,
ruunt: erigit omnes elis
li omnium in te speran
ne: & tu das escam illo
tempore oportuno: A
manum tuam, & imple
animal benedictione.
Dominus in omnibus v
& sanctus in omnibus o
suis. Prope est Dominu

